

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Manuscripta Rhenaugiensa - Cod. St. Blasien 33 bis 37**

[Pars IV] - St. Blasien 36

**Rusconi, Bernhard**

**[Südschwarzwald, St. Blasien u.a.], [2. Hälfte 18. Jh.]**

Mauritius Hohenbaum van der Meer, Animadversiones ...

[urn:nbn:de:bsz:31-46582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-46582)

Animadversiones  
In Synopticam Historiam Originis  
Monasterij S. Blasij.

Cum nuper Epitomen historiae Sancti Blasianae vir Summa  
Eruditione et humanitate praeditus P. P. Hugo  
Schmidfeld, cum praesentis Electoris Principis Martini II.  
Cujus Literaria praesertim merita nemo est, qui nesciat,  
transmisisset, synopsis saltem Originis describendam duxi,  
eius aliquas animadversiones currenti Calamo adhaerere,  
propterea quod non pauca ad historiam Monasterij nostri  
Rhenauigensis pertinentia complectatur. Ceterum  
quis Ego sum, ut audeam vel leviter virum vastissima  
Eruditione praeditum P. P. Stanislaum Wülberj per-  
stringere, qui multis annis subsidia locupletissima vi-  
ginti circiter Tomis Contenta comparavit? Ego, inquam,  
qui triennio elapso Monumenta Monasterij nostri perscrutatus  
cepi, et omni eruditione nudus historiam aggressus sum,  
jam mediocritate sua absolutam? Monita ergo quaedam  
duntaxat subministrabo, tam illis quam nostris, si dignen-  
tur legere, forsasse profutura. Ordine hujus Synopsos  
servato, Literis ad marginem notatis indicabo, quo meae  
referenda sint animadversiones.

Post praedicationem S. Columbani saeculo VII. factam A.  
hic se per anachoritam abdidit. Miror, Clarissimum  
P. Stanislaum in praesenti synopsi adoptare systema diatribae  
ab eruditissimo P. Hugone ante quinquaginta et triginta circiter  
annos elaboratae, cum ipsemet P. Stanislaus in superiori ac  
satis proluxa deductione prolegomenorum praemissa idem  
systema refutarit N. VII. Ego solum addo, S. Columbanum  
Luxovio per Burgundiam in Zuriggoviam adventasse,  
que

qua ex Monumentis nostris unacum Turgovia ad Sueviam  
 Computabatur, ad Limagum flumen, et Lacum Tigurinum  
 predicasse, Ethonum forte ne vidisse quidem, multo minus  
 superasse. unde Otto Frisingensis l. 1. de gestis Frid. Imp.  
 c. 8. Turogum vocat nobilissimum Sueviae oppidum: et  
 Alemanniam à Lemano fluvio Sueviam. apud Ursif. pag. 112.  
 Ceterum nigra et Martialis sylva non Hercinia tantum, sed et  
 illa dicebatur, qua in moderna Helvetia Lacu Tigurino  
 posterior est. ut mentem meam ea libertate, qua inter amicos  
 decet, breviter expediam, vix credo, solidum Originis San-  
 Blasiani systema proditurum, quod apud viros cordatos et  
 praecupationibus liberos fidem mereatur, nisi praecisus ve-  
 terum heremitarum cogitationibus, qua hactenus Historiam  
 illam insuperabilibus tenebris obvoluerunt. Non indiget  
 S. Blasius dubijs laudibus, quando praeconia ejus statim  
 subsequis saeculis amplissima prodierunt. Melius fortasse  
 in Fundatorem inquireretur, qui Cella, adeoque Monasterij  
 auctor fuerit, hoc enim est, quod volumus, dum de origine  
 cujusdam Monasterij disputamus. Proletaria nimirum videtur  
 illa anachoretarum ante condita Monasteria in quendam Locum  
 convolutio, et pluribus alijs Monasterijs comunis, hoc enim de  
 Dissertina, hoc de Fischinga, licet ruinoso cum fundamento  
 asperitur: quin et non desuere, qui somniant, etiam in  
 Insula Etheni nostri ante conditum asceterium se abdidisse  
 Eremicolam. Calmet Hist. Helv. pag. 117. Idem de Monasterio  
 Scaffhusiano narratur. Videamus tamen, quae pro S. Blasio  
 specialia pugnent Argumenta.

Praecipuum ac unicum ferme Argumentum pro antiquis  
 illis Anachoritis, ut arbitror, desumitur ex Libro I. Constitutio-  
 nis Monasterij S. Blasij, in quo vita illorum sancta inter horrida  
 alpigovia nemora mirifice depredicatur. Sed imprimis  
 Anonymus iste toti illi Libro nusquam ullam apposuit Chrono-  
 logiae Notam, nihil de S. Columbano, nihil de saeculo VII. VIII.  
 aut nono meminit; unde libera nobis facultas relicta ad quodcumque  
 Tempus

Tempus illa anachoretarum gesta respondendi. Meminit  
 eodem adhuc Libro Reginberti, qui seculo X. vixit, et in  
 Diplomate ottoniano clanculus Heremita laudatur; Quia  
 propter suspicor, totam illam historiam ad illa tempora re-  
 ducendam esse. Argumento esse potest, quod narratio Anonymi  
 ad tempora Sigemari non pertingat. Sane Ligneam illam  
 habitatiunculam, quam fecerant anachorita, Anonymus testa-  
 tur Libro II. anno primum 1087. fuisse destructam, nec ima-  
 ginari queo, tempore facta à Sigemaro Donationis, nihil  
 nisi ligneum opus in Cella alba fuisse. Quod si quis oppo-  
 nat, non posse illa, quo Anonymus de Eremitis refert, præ-  
 cise intra tempus Reginberti concludi; expedita est responsio,  
 neque illa posse præcise de superioribus seculi explicari.  
 Sed quid moror Anonymum, qui ad finem seculi XIV. scripsit,  
 atque adeo idoneus testis esse non potest illorum, quæ ante  
 Septingentos annos contigisse referunt. Accedit, quod tot  
 ac tanti falsis ac contradictionibus scateat, ut nec apud  
 Domesticos fidem emereri potuerit. ad summum igitur iudicio  
 esse potest cuiusdam antiquæ Traditionis, quam ipse sine ulla  
 inter verum et falsum iudicio, sine ordine, sine temporis nota  
 descripsit, imò adauxit, ut lectores antiquitatis opinione  
 deciperet, certe confusos redderet et perplexos. Excusat  
 nonnihil P. Stanislaus quoad hoc Anonymum, quod forte contra  
 mentem ipsius posteris eum de superioribus seculis loquentem  
 explicaverint, cum tamen ipse non multis seculis, sed multis  
 annis duraxat Anachoretas cum extrema indigentia luctatos  
 fuisse asserat. Sed hoc ipsum ad tempora Restaurationis seculo X.  
 facta referri posse videtur; magnum erat enim, vel aliquot  
 annis sine lecto, sine foco, sine cibo humano, inter steriles  
 illas rupes et arbores posse versari.

Non Pica augurio, sed S. Pirminij ex Augia pulsi hortatu B.  
 seculo demum VIII. Regulam S. Benedicti impetrarunt.

vercor,

verecor, ne et iste à Car. mo P. Hugone, sine teste, ingeniose  
 famen excogitatus. S. Firminij per Cellam albam Frangitus  
 apud viros ad credendum non proclives, ut Rodie fere sunt,  
 ingressum obtineat. Fabula anilis est, quam anonymus narrat  
 cogitantibus Dromitis de Regulae alicujus susceptione, indicio  
 Pica advolantis nigro alboque colore micantis, Regulam  
 S. P. Benedicti, in his partibus, ut ait, ignotam, fuisse indi-  
 catam. Placet saltem ingenium anigma declarantis, quod  
 per priores Litteras Si non Pica, sed Firminius intelligendus  
 sit, quod nesciens ille anonymus Picam scripserit. Ceterum  
 jam advertit P. Manilius, nomina initialibus tantum Litteris  
 scribendi usum ante saeculum XII. non inchoasse, proinde ex  
 nullo antiquo scripto legerit, sed voce viva Picam illum haufe-  
 rit aut caperit anonymus. Ego aurem mihi his tantum verbis  
 vellicari puto: quod gratis asperitur, gratis negatur; nolo enim  
 esse prolixior.

C. Ad Ernsfrido Episcopo Constantiensi, qui et Chronicon ejus-  
 dem Cella scripsit. Praecipuum hoc est antiquitatis monumentum  
 cui innititur Car. mo P. Manilius, nescio tamen, an non peritus  
 tuinosum; Ego certe huic fidere haud malim. Quis enim unquam  
 vidit hoc Chronicon? Certe licet ipsemet, dum monumenta Au-  
 gustae gentis Hatspurgica in abditis firinij's investigaret, ubiq;  
 locorum solcite perquisisset, illud tamen se non invenisse docet  
 Proleg. I. §. I. nec mirum, cum nec anonymus sancti Blasii  
 ante quatuor saecula id viderit, aut ullam de eo notitiam habue-  
 rit. Sed enim hoc Chronicon Ernsfrido Episcopo adjudicant  
 pag. 620. Manlius apud Pistorium in Chronico Constantiensi: Bucelinus  
 in Chronologia Constante ad annum 729. Gallia sacra To. V.  
 alijque aucthores, nimirum his similes, quorum nullus post non-  
 gentos annos illud Chronicon S. Blasij vidit. ut dicam, quod  
 res est, id omnes ex Pistorio descripserunt. Bucelinus sine  
 ulteriori Crisi, non tamen pro more suo, sine additamento. Gallia  
 Christiana circa res nostras, certe Rhenaugiones, tot contract  
 errores, quot veritates. Fides ergo tota fit penes Pistorium,  
 qui id non ex Msc. Manlij, sed ex alio quodam fragmento descripto  
 videtur.

videtur. Tota ista Chronologia, si excorpiata ex Guilimanno  
 duo Diplomata, et vitas ff. Conradi et Gebhardi auferas,  
 duobus vel tribus paginis constat. Note potius volatiles Manlij  
 ibi continentur, quam opus elimatum. En titulum à Pistorio  
 prefixum: "Chronicon Episcopatus Constantiensis, inchoatum  
 à Jacobo Manlio Brigantino Doctore, postea relictum veteri  
 simplicitati, sed auctum ab alio bono viro". Quis jam discernet,  
 an ea, quae de Chronico S. Blasij referuntur, sint ab illo alio  
 bono viro adjecta, an vero à Manlio veteri simplicitati relicta?  
 verbo! quis ignorat, in ejusmodi adversarijs plura soepe ad-  
 scribi, postmodum rejicienda. Audiamus nihilominus  
 verba seu Manlij, seu alterius: "Ernfridus alias Anastadius  
 is. hic, ut in Martyrologio S. Galli liquet, abbas fuit Monij  
 augiensis, et scripsit Chronicam Monasterij S. Blasij, profuit  
 Ecclesie Constantiensi anno 735. rexitq; abbatiam et Dia-  
 cesim Constantiensem X. annis quam laudabiliter."  
 Annum posteriorem ponit Hermannus Contractus in Chronico  
 msc. fœc. XI. his verbis: DCCXXXVI. Augia defuncto post  
 II. annos Keba, Ernfridus m. augia abbas, et Constantie  
 Episcopus factus profuit annos X." Ceterum alium silen-  
 tium, an aliqua scripserit. Sed consideremus verba Manlij:  
 Chronicam, inquit, Monasterij S. Blasij. Quin hæc verba ad  
 seculum X. referenda, quousq; jugiter Cella et Cella alba  
 inaudit. Preoccupatum me video responsione hæud longius  
 petita, quod posteri nomen augustius substituerint. sed  
 quare id non ipse Manlius, aut quisquis ille est, advertit?  
 hæret sane animo scrupulus.

Precipuum tamen, ut verum fatear, in hac re est, quod  
 assensum meum retinet, quia à me obtinere nequeo, ut  
 credam, Episcopum Chronicam scripsisse aliquot Anachorita-  
 rum in nemore habitantium, qui vix lingueam Domuncu-  
 lam inhabitabant. Quæso! quodnam hujus scriptiois  
 objectum?

Hugone, sine...  
 per...  
 prolixes, ut...  
 nilis est, quam...  
 alicujus...  
 colore...  
 ut...  
 anigma...  
 sed...  
 Picam...  
 ina...  
 non...  
 voce...  
 ausum...  
 ritur, gratis...  
 Constantiensi, qui...  
 hoc...  
 us, refic...  
 laud...  
 ipse...  
 dicit...  
 ad...  
 nec...  
 aut...  
 inf...  
 onis...  
 rum...  
 miles...  
 Blasij...  
 scripserat...  
 oro...  
 le...  
 ego...  
 x alio...

objectum? quae per singulos annos facta? quae mutationes? quae successiones? quoniam eventus mirabiles? si veritas Patrum dixisset, aliquam attentionem mereretur. Sed Chronicon, quale de nullo Monasterio illius saeculi habetur, credat mea pace, quisquis volet, ego certe in tanta penuria illius aevi scriptorum historicorum, nunquam accensendam existimabo Ernsfridum Eusebio, Hieronymo, et Bedae, quorum Chronica tam pretiosa. Carissimus P. Herrgottus testatur, se hoc Ernsfridi Chronicon mss. in Augia Savite vidisse, quod olim erat Monasterij S. Blasij; ceterum nec verbum de hoc Monasterio continere, cuius, ut inquit, exordia vix, ac ne vix quidem ad initium IX. saeculi referre ausim. l. 1. de origin. S. Blasij. mss. c. 1. §. 1.

Misso igitur eiusmodi Chronico, fortasse scriptor anonymus Constructionis S. Blasij eandem historiam divisit, et Episcopus ille, quem adierunt Eremitae, alius non est a S. Conrado, qui et regulam, et disciplinam, et Cellam in Monasterium iustum restauravit.

**D.** Patris spiritualis titulum in Prioris nomen commutarunt. Indaganti mihi aliquando data opera in Prioris nomen in ordine nostro usurpatum, non occurrit exemplum ante saeculum XI. et Instituta Cuniacensia; certe ad saeculum VIII. aut IX. ut hic fit, referendum non est. Neque Anonymus pro Propositi aut Decani nomine id ponere debuit, quando expresse de Nomenclatura disperit. an potius ad saeculum X. iterum rejciendum, judicent alij, quorum interest.

**E.** Optime ista coherent cum traditione cellae albae ad Rhenaugiam pro stabiliendo inibi servitio S. Mariae a viro Nobili Sigimaro anno 858. peracta. Et ego utroque pede in eius sententiam eo, qua ex Eruditissimo P. Hugone docet, adventum S. Fintani in Insulam nostram figendum esse ad annum 857; quam et alij rationibus suo loco comprobavi: quin et laudo ipsius zelum, quo Rhenaugienfes s. plerosque non omnes perstringit.

perstringit, tandem illam epocham amplecti nolentes .  
 Quod vero Donationem Sigimari hic cursim solum adducat, non  
 laudo; ex ea enim forte solidius originem monij S. Blasij  
 seu Cella alba ediscere potuisset. Quidquid profecto sit, an  
 nonnulli Eremita locum illum aliquandiu praeie inhabitarint,  
 alium meo in sedis animo, Sigimarum revera primum illius  
 Cella Fundatorem esse dicendum, cujus rationem alibi indi-  
 cavi: hic solum addo, primum illum mihi videri Fundato-  
 rem, quod plerumque Cella noviter condita, non vero multis  
 jam annis stabilita, solerent insignioribus Monasterijs com-  
 mendarari. Quod vero sub hoc numero adverto, est, S. Stanif-  
 laum Donationem Sigimari ad annum 858. revocare, contra  
 meam, quam ex nostro S. Geroldo didici, sententiam, qua  
 ea refertur ad annum 856. aut 857. cum annus in Charta  
 praecise non exprimat, nihil interest, dummodo in anno  
 858. praecipisse dicatur mensem Aprilem, quo datum est  
 Diploma secundum Ludovici Germanici, ubi Cella alba con-  
 tinetur, ratioque fuerat, cur necessario praeposenda videbatur.  
 At immerito nos irridet, dum hoc ipsum Diploma huic anno  
 858. affigimus, ipso posteriore 859. Statuente. Inter alia,  
 utinam Sapient, exclamat, ac intelligerent aliquando Ahe-  
 naugienfes epocham Regni Ludovici desumendam esse ab  
 anno 823. Recte! Bene! his adde numerum 20. ita scilicet,  
 ut annus primus Regni jam sit ille trigessimus tertius, inclusive  
 non exclusive, ut vulgo dicitur, invenies profecto 858. non  
 vero 859. attendisset factem S. Staniflaus ad indictionem  
 appositam sextam, et non tam contemptim aberrasset. Occa-  
 sione Fundatorum nostrorum ex gente quelfica, de quibus  
 justum Tomulum nuper conscripsi, plurimas chartas hujus  
 epochae evolvi, et eas omnes hoc Computo numeratas esse, ac nu-  
 merandas esse inveni.

n. XXXIII.

Errant nihilominus Ahenaugienfes, dum ex laudata Traditione  
concludere volunt, disciplinam Ahenaugienfes Cella alba  
invexisse,

F.



invexisse, verso potius argumento, quod varijs rationibus Stabili. Conclusio Rhenaugiensium tam naturalis erat, contra P. Hanislai tam praepostera, ut cum ante octennium circiter P. P. Joannes qualbertus in Dedicacione Thesium suarum ad Alfissimum Principem hujus wülberpiti systematis meminisset, id apud Nostrates risum potius, quam indignationem excitavit. si ipsis in Thesibus aliquid expressisset, me provocatum existimarem, nunc autem dissimulandum putavi, quia Contentiones ad nihil utiles esse scio, imò sciebam, nec Erudissimos S. Blasij Collegas cum defendente Professore hac in parte sentire. Sed ponderemus P. Hanislai rationes, quas in prolixiori Prolegomeno primo §. 3. et quidem omnino tres affert, postquam dixisset: Ulterius Rhenovienfibus contraire pergo, ut refellam insulsam opinionem, ac si Cella alba undiqz florens in Disciplina ab ijs reformata esset.

n. XXXIV.

Prima ratione nihil aliud probat, quam quod Rhenaugia post destructionem suam, qua restauracionem praecessit, reformacione indiquerit: Ergo, ait, aliorum potius ope indigebat, ut revivisceret. Optime! advertere tamen volo imprimis, Monasterium nostrum non penitus, sed penè destructum in Diplomatum asperi; Jugiter enim Monachos persistisse, ex chartis constat. Deinde totum opus restauracionis completum fuisse, antequam Cella alba Rhenaugiae donaretur, et quidem maxime per extraneos, non Cella alba Eremitas, imprimis ipsum Restauratorem Wolfenium, quem in corde colo et veneror, deinde per S. Fintanum scotum, miraculis ac virtutibus jam undiqz clarum, anno 851. Rhenaugiae Monachum habitu indutum, atqz inter fratres solido quinquennio commoratum, quos non vagos, non dissolutos, sed disciplinatos, regulares, et si vis, jam reformatos fuisse vel ex vita ipsius solidissime constat; cur enim alias inter Fratres pausans, cur solitas vigiliarum Laudes praeveniens, cur à constituta singulis Fratribus annona cum licentia Abbatis abstinens memoraretur,

Si

Si in Monasterio neglecto atq; nullius observantia habitasset, antequam Cella alba uniretur, aut fratres illius advenissent, si tamen ulli unquam advenissent? Miror excenta alia, quae facile eruere ex vita poterit, cui otium est; id solum ut notum ex solitariorum Regula adverto, Inclusos in nullis Monasterijs permixtos fuisse, nisi majoribus, atq; adeo observantia claris: atqui S. Fintanus sese reclusit satente S. Stanislao, antequam Cella alba in partem Monasterij numeraretur.

Restaurata quoq; fuit Rhenaugia quoad Disciplinam per Godbertum S. Galli religiosissimum Monachum, quem Electum fuisse, et quidem jam anno 851. contra expressa verba Diplomatis Ludoviciani perperam negat S. Stanislauus, ajens, eum non Electum, non Confirmatum, sed immediate à Rege Constitutum seu impositum fuisse; cui è Diacetro Ludovicus: quem à Fratribus, et à se; wolfero; Electum vocat. Restaurata est deniq; Disciplina, si vis, ab alijs Monachis ex S. Gallo, et Augia, Monasterijs illo jam aevio florentissimis, expetitis; quod non gratis dictum existimabit, qui in Diplomate Ludovici legit, confirmationem Restorationis horum Monasteriorum abbatibus, magnis in aula viris, praesentibus et expetentibus fuisse impetratam. Adeo non indignum Rhenaugiam in Disciplina Regulari instrui à Fratribus Cella alba.

Secunda ratio S. Stanislai, et quidem praecipua, ni fallor, desumitur ex ipsa Donatione Sigimari, ubi discrete asseritur, eam factam fuisse ad stabilendum inibi servitium S. Mariae. inibi, inquit, ad Rhenaugiam pertinet, non ad Cellam albam, cujus potius Patronus fuerit S. Nicolaus. S. Nicolaus? Sciunt antiquarij hujus cultum saeculo IX. toto occidente ignotum fuisse. Ergo Cella alba potius nullum, quam B. mam Virginem, Patronum habuerit. adverti aliquando, quia Cella alba Locus ultimus est, qui in hac charta memoratur, particulam inibi potius referri posse ad hanc ipsam Cellam, ut sensus fit, Sigimari viri nobilis intentionem fuisse, ut cultus ejusdem gloriose Virginis, qui Rhenaugia excelleret, in

Garantus. Merati.  
fo. II. p. 1. sec. VII.  
cap. II.

in Cella quoque alba propagaretur. Sed Liberales sumus, demus  
 P. Stanislao, quod postulat, nimirum sub particula inibi in-  
 Feligi Rhenaugiam. quid sequitur? Stabiliendam fuisse devo-  
 tionem et cultum erga B. V. per Fratres Cella alba, et eam  
 quidem devotionem, qua jam antea, probante P. Stanislao,  
 Rhenaugia vigerat. Sed quaso! cur non ex alio Monasterio  
 specialiter servitijs B. V. dedicato postulati sunt fratres,  
 ad eum cultum instruendum, seu promovendum? En quomodo  
 Servi Mariae Rhenaugienfes magis idonei fuerint, ad servitium  
 tale alibi, et in Cella alba, introducendum.

verum Cardio rei versatur non in cultu B. mae Virginis  
 sed in regulari disciplina. utinam vel nomen hujus expri-  
 meretur in Charta Sigimari, ut saltem umbram pro sua  
 opinione P. Stanislao nancisci posset. Eam tamen mutua-  
 ex Diplomate Ludovici, ubi dicitur, Monasterium Rhena-  
 gienfe constructum fuisse à Patre et avo Wolfeni, nec non  
 et ab ipsomet, ob regulares disciplinas. Quis hoc nescit?  
 Quodnam Monasterium nisi tunc in finem constructum est? Sed  
 quid hoc ad Donationem Sigimari? nihil stabilitur, verba sunt  
 P. Stanislai, nisi quod antea incaptum erat; ergo dabit saltem  
 regularem disciplinam jam cepisse, antequam stabilienda  
 à Cella alba fuerat. Ceterum dicamus sine ambagibus et in-  
 volucris, quod res est: donare aliquid ad stabilendum ser-  
 vitium S. Mariae, secundum sensum obvium, quem omnes,  
 nisi fronte obtusi, intelligunt, nihil aliud est, quam  
 aliquid contribuere in finem eum, ut qui donum accipit,  
 magis exardescat in servitio ejusdem gloriose virginis, ut  
 cultus ejus augeatur, ut servi illi dicati multiplicentur,  
 et hujusmodi plura, quae ipse addere potes. Sane si vel  
 praedium donasset Sigimar, eadem phrasi uti potuisset.  
 unde quando Ludovicus Rex anno 858. Rhenaugia con-  
 firmavit in alpegove Cellam, quae dicitur alba, aloffam,  
 wald kircham, seu quicquid in Italia in Pago veronense  
 et Tortonense wolfenus habuit, cum ferris, pratis, sylvis,  
 servis, mancipijs &c. haec omnia fecit, ad stabilendum  
 inibi

inibi Servitium S. Mariae. Ergo haec omnia introduxerunt  
Disciplinam regularem in Monasterium nostrum?

Tertiam probationem S. Stanislai, licet saepius a me lectam  
et relectam, intelligere tamen prorsus nequeo. unde eam de  
verbo ad verbum adscribam, ut saltem doctior me lector me  
elocere possit. sic autem sonat: " III. Non solum pro fir-  
manda et evolvenda Rhenaugia Disciplina Benedictina  
Sigimarum Cellam albam eidem tradidisse, sed etiam unitam  
sibi possedisse Rhenaugiam edocemur ex laudatis Diploma-  
tibus Hludovici et Heinrichi, ubi ei sicut alia, confirmatur,  
et in alpigrove cella, quae dicitur alba. Morem siquidem  
eo aeo viguisse, ut variae subin Cellae unico subessent abbat;  
innumeris prodit exemplis Mabillonius To. II. Anal. Bened.  
Sequelam exinde legitimam nasci puto, Rhenaugia Praesules  
simul rexisse Cellam albam, nostrorumq; veros Pastores nomi-  
nandos usq; ad initium saec. X." Hucusq; S. Stanislai. Quae  
iterum quomodo pro intentione ejus faciant, non capio. Mansit  
utiq; Cella alba aliquamdiu unita Rhenaugia, prout teste Ma-  
billonio minores Cella majoribus Monasterijs jungebantur, ac  
proinde eosdem Pastores habebat, iisdem Praesulibus regebatur.  
Sed numquid Pastores pascuntur ab ovibus? numquid Praesules  
reguntur a subditis? Quod tamen necesse est dicere, si con-  
cludere pro Stanislao velimus. Profecto si veritatem amamus,  
verso potius argumento, dicere debemus, Fratres Cella alba  
utpote oves pastos fuisse a Gotherto, seu potius ejus successo-  
ribus Pastoribus nostris, rector, instructos, edoctos a Praesulibus  
nostris, verbo, Disciplinam regularem a florentissimo tunc  
Monasterio nostro in Cellam albam, primitus a Sigimaro fun-  
datam, fuisse introductam. Homini impartiali et a futuris  
eventibus non praecipuo ponderandam relinquo diversitatem  
inter Rhenaugiam, et albam: Illa Monasterium in omnibus  
Diplomatibus et Chartis illius aevi jugiter nominatur; hoc sim-  
plex nomen Cella diu adhuc retinuit. Illa aedificijs justis atq;  
Basilica instructa fuit; haec vix Capellam ligneam ostentat.  
Illa

recher. Lat. Liberales  
mirum sub particula  
itur? Habiliorem  
or Fratres Cella alba  
ansea probante. P.  
eso! cur non ex alio  
licato postulat; sunt  
ku promovendum.  
agis idonei fuerint  
roduccendum.  
non in cultu. P.  
inam vel nomen  
ut saltem unam  
lei possit. Lam deno  
dicitur; Monasterio  
Patre et aeo Wode  
disciplinas. Quae  
ne in finem constra  
ari? nihil habili  
inceptum erat; exp  
cipere, antiquam  
dicimus sic ante  
e aliquid ad  
sentiam obrium  
ant, nihil aliud  
cum; ut qui dicit  
ejusdem gloria  
vi illi dicitur  
addere potes. P.  
adom phasi  
anno 898. P.  
qua dicitur  
in Italia in  
huc, cum  
ia fecit ad

Illa Diplomatum Regijs, Donationibus Comitum ac Principum  
 ac amplis latifundijs in pluribus Pagis, quae hodie justos Comitatus  
 Constituerent, honorata fuit; haec nihil horum. Illa Sanctissimo  
 viro Fintano miraculis insigni claruit, Reliquijs de Roma quam-  
 plurimis; in alia Charta scribitur utique per Hyperbolen-  
 innumera bilibus ditata fuit; Comites, Presbyteros, aliosque viros  
 excellentes inter suos admisit; hoc nihil horum authentice demonstrare  
 potest. Illi in generali Concilio Abbas confirmatus fuerat; hoc  
 ne Priorem quidem tunc habuit. Illa Reliquias insignes Cella  
 alba intulit; hoc à Atonaugia obtinuit. Illa Fundatorem Cella  
 alba nobilem virum cum filio ejus in Monasterium suum sus-  
 cepit; hoc illo tempore per hoc injuriam sibi fieri conquesta  
 non est. verbo! non Atonaugia Cella, sed Cella Atonaugie  
 incorporata fuit. Meditanti plures ejusmodi anthy-  
 theses in mentem venire poterunt; quae qui animò sedato  
 consideraverit, omni procul dubio naturalem Consecutionem  
 faciet, par esse ut credamus, non Atonaugiam à Cella alba,  
 sed vice versa hanc ab illa instructam esse, maxime, quod ad  
 illud usque tempus nihil prorsus solidum aut authenticum  
 de Cella alba habeatur, ut proinde nostrates haud aberr-  
 verint, quando simpliciter sine contentione dixerunt: Cre-  
 dibile esse, Regulam S. Benedicti per S. Fintanum,  
 Sigimarium, et Eutherum filium ejus, monachos nostros,  
 Cella alba illatam fuisse.

G. Cella alba ritus suos, quos à S. Trutperti Inquilinis necdum  
 sub abbate constitutis mutuaspe vult Bucelinus, Atonaugiam  
 introduxit. Potius à S. Trutpertinis Disciplinam mutuari  
 Benedictinam vult S. Stanislaus. Quare? quod Bucelinus  
 jam ad annum 807. Chronol. Constantiensis scribit, sibi videri  
 Regulas à Trutpertinis comunicatas fuisse Jan Blasianis.  
 alium nempe festem nec Bucelinus habuit, in hac re veris  
 monumentis destitutus, ut qui forte ignoravit, tunc nec ullos  
 S. Blasianos exhibitisse. magis suspectam rem suam facit  
 iste auctor, quod in eodem numero dicat, eousque id est  
 ad annum 807. Prioris titulo jam profuisse aliquos. Nonne  
 antequam

antequam Benedictinam Regulam à S. Trudpertinis didi-  
 cissent, et quidem sub Prioris titulo ante seculum XI. ignoto.  
 Eiusdem farinae est alterum testimonium, quo ex eodem auctore  
 tantopere gloriatur S. Stanislæus, dum nempe ad annum 857.  
 ille scribit: "Hercinia instar Paradysi Domini germinans  
 germinat, in tribus maxime Canonibus Divi Blasij, S. Trud-  
 perti, et S. Georgij." S. Georgij in Hercinia? aliud me docet  
 Bertholdus Constantiensis Continuator Hermannii Contracti  
 auctor Suppar ad annum 1091. apud Urstisium pag. 364.  
 ubi de S. Wilhelmo Hirsaugiensi ait: Tura Monasteria, ex  
 integro usquequaque construxit, duo quidem in nigra sylva, unum  
 S. Georgij, alterum S. gregorij, scilicet in Rickenbach. Videtur  
 mihi confusam nonnunquam fuisse Buccolini memoriam, ut cum  
 ad aliquem annum non occurreret, quod adscriberet, sine firu-  
 pulo aliud aliquando lectum apposuerit. Fortasse in eodem  
 Bertholdo ad annum 1083. legerat: Tria Monasteria egregie  
 pollebant, S. Blasij, S. Aurelij, et S. Salvatoris. Cui  
 quidem testimonio summa cum reverentia assurgo. Ceterum  
 ad prædictum annum 857. aptius Donationem Sigimari  
 apponere potuisset, si scivisset Buccelinus.

Sustineri potest eum s. Gothbertum primum Thonaugien- H.  
 sem Abbatem: s. ex alba Cella ineunte seculo IX. apprime flo-  
 rente, siquæ antiquiore, assumptum, licet S. gallenses ex solis  
 Conjecturis eum libenter suum vellent. Quod de Floridus et  
 antiquitate ingeritur, in questione est. Ceterum Conjecturae  
 pro S. gallensibus fort et tanti sunt roboris, ut ijs vir pru-  
 dens denegare assensum vix possit. Eas hic recensere, à me  
 ne exigas Lector, properat enim Calamus: invenies a libi.  
 Quomodo porro poterit S. Stanislæus sustinere Gothbertum  
 ex Fratribus Cella alba fuisse, omni etiam Conjectura de-  
 stitutus, cujus ne quidem nomen, sicut nec ullius alterius  
 Fratris occurrit. sed nunc demum adverto, quid fortia illa  
 probatione pro restauratione disciplina ex Cella alba  
 descendente

descendente S. Stanislau voluerit. voluisset nempe ipse libenter  
primum Praefulem et Pastorem Ahenaugia fuisse ex Cella alba  
postulatum, licet id cordate edicere non praesumpserit. unde  
ignosce lector, si quid gravius tibi contra Antiquitatem meam dicitur.

J.

Antiquitatum anno 861. Recensentur Abbates Ahenaugia  
et Cella alba communes. Sed cum ex Diplomate secundo Ludovici  
constet, Wolgenum jam anno 858. id muneris in se suscepisse  
vix credibile est, Godbertum primum Abbatem adhuc profuisse  
Ahenaugia, cum Cella alba illi traderetur. Ideo Antiquitatis  
primitus illius Cella Praefule numerandus, utpote jam ante  
illud Diploma Monasterio nostro unita, et quidem ad annum  
857. Secundus erit sone dictus Wolgenus Restaurator noster,  
qui usque ad annum 878. Regimen suum produxit. Reliqua  
cum Chronologia nostra concordant.

K.

Nomina porro Monachorum Cella alba, qui Ahenaugiam  
concesserant, discimus ex Necrologio S. Gallensi. Vix credo  
ullum Monachum ex Cella alba Ahenaugiam concessisse, nisi  
forte iussu Abbatis mutationem loci praecipiontis: quin  
potius quidam Ahenaugienses Cellam albam concesserunt,  
possessionem loci adeuntes, disciplinam secundum Regulam  
S. P. Benedicti instruentes, S. Reliquias S. Blasij illic  
transferentes &c. Multo minus verum est, duos illorum fuisse  
Presbyteros, quatuordecim Monachos Conversos, et undecim  
Sorores. Sorores, ac Conversos in Ahenaugia nullos novimus  
ante finem saeculi XI. unde frustra gloriatur ex hoc loco  
S. Stanislau, ac si exinde constaret, Conversorum genus jam  
saeculo IX. in Cella alba viguisse, quos certum est, ante in-  
stituta Cluniacensia, atque adeo ante saeculum XI. nullibi  
locorum reperiuendos. Sed ut evidenter appareat, quantum  
vim praecipitatio atque nimius rerum suarum amor in hominis  
non solum animum, sed etiam in sensus externos, atque adeo oculos  
exercere possit, exemplum hic nobis praebet S. Stanislau  
Wülber, qui dixit, Liberum praedictum Fratrum Conscriptorum  
se in manibus gestasse, atque oculis accurate lustrasse: et hic  
vidit

vidit Monachos nostros Rhenaugioses duodecimi seculi ad annum 1120. sub Ottone Abbate Rhenaugia existentes, Necrologijs nostris cum die emortuali illatos, et hic in pagina S. Gallensi descriptos; vidit, inquam, et putavit se videre suos Albanos seculi IX. homines; vidit Columnam rectam scriptam Characteres seculi decimi, et interpolatam scriptam alio ac pallido atramento, atq; manu seculi XII. et tamen putavit se videre seculo IX. olim viventes, eosq; horizontaliter legit, quos ipsa Columna perpendiculariter legendos esse demonstrant. vidit in Columna recta scriptam winerat, et ad latus interpolatum albarn, qui sub Ottone abbate nostro obiit die 5. Decembris. et tamen se videre putavit, et ex his duobus nominibus legere ii vinerunt albani, ita ut winerat significet ii vinerunt, et albarn, albani. Cui hoc potuit, quid non potuit? Mirandum jam non est, cum tot Albanos ibi vidisse. Ignoscerem illi, nisi Confratres suos viros eruditissimos tam surpiter decepisset. Libentius ei ignosco, quod ait, hos esse, quorum sulcore stabilitum Rhenaugia Servitium S. Marie. Item Wolvenum indignisse tot Conversis in structura Monasterij nondum perfecta. opportune utiq; occurrerunt post ducentos, et quod excurrit, annos.

Cellam Albam ob Hunnorum incursionem aut derelictam, aut sicut alia loca sancta seculo X. incunte devastatam supra innuimus. Et ego id probabilius factum credo propter auctoritatem Diplomatis Ottoniani, in quo Reginbertus primus ibi habitare cepisse ascribitur, quae utiq; Locum aut derelictum aut destructum supponunt. Ceterum Hungari non vero Hunni, fuerunt, qui eam vastationem etiam Rhenaugia anno 925. intulerunt.

Num autem unus ex Monachis fuga elapsis ac revertentibus, vel ex ipsa Rhenaugia, aut ex Dremo Deipara Einsidlonis fuerit, edicere nequimus. Nec ego de Reginberto pro certo aliquid edicere queo. Contra Einsidlonenses sat, quod eorundem fundatio vix aliquo tempore praecedere potuerit, nec verisimile sit, Religiosum aliquem, et solum, statim sine postulatione amandatum. Pro  
Rhe-



Athenaugiensibus ipsa procedens necessitudo, et quod in folio san-  
gallensi inter Athenaugienses aliquis Regimburtus adscriptus sit  
Calamo seculi X. expressus, ut fidem quoque faciunt eidem  
circumscripti. Heremita vir sanctus vocatur, qui primus  
ibi habitare cepit, quae secundum sensum obrium Anachoretam  
inducant, qui solus Iremum aliquamdiu incoluerit. Credibile  
est, Regimburtum ex instinctu Divino Locum ab alijs neglectum  
haud multo post Hungarorum vastationem habitare cepisse, atque  
paulatim alios congregatos, qui more anachoritarum pluribus  
annis sancte ibi vixerint, de quibus forte plerumque intelligenda  
quae Anonymus Confuso ordine et gestis Conglomeravit.

N.

Factum, ut à jugo Athenaugiensi, et potestate Episcopi  
Constantiensis Liberi evaderemus, antequam Athenaugia  
Credo item huc referendum, quod Anonymus ait, Anachoretas  
illos Episcopum Constantensem adijisse, quod praecipue pro  
restauranda Cella seu Monasterio contigisse puto, maxime  
quod Athenaugia ipsa, ad quam locus ille pertinebat, Episcopi  
Cura ac potestati tunc subisset. Regimburti Sanctitati, ac  
S. Conradi prudentiae futurorum praesentia adscribendum, quod  
tunc Cella alba ab Athenaugia separata fuerit, haud enim  
tot bona evenissent, nisi Cella illa in proprium Monaste-  
rium excrevisset. verum hoc non eo pacto factum credo,  
uti P. Amislaus, qui id Ottonum imperio, fere dixerim  
injusto, renitentibus Athenaugiensibus adscribere omni modo  
conatur. si possessionem diuturnam pro titulo justo usur-  
pet, saltem bona fidei ne obliviscatur. Ego vero omnia  
ordine, atque cum debita solemnitate facta fuisse assero, atque  
adco sanctum Episcopum non usurpata potestate Cellam à  
Monasterio divulsisse, sed praehabito Consilio et assensu  
Fratrū Athenaugiensium, qui Monasterij principalis  
restitutioni intenti haud gravate in petitionem consenserint.  
si enim S. Conradus Donationem unius Pradij anno 963.  
acceptare noluit, nisi prius convocatis et rogatis Monachis,  
ut habetur in Charta miki XXVIII. Coram praesentia  
Domini

Domini Konradi Episcopi cum Consensu monachorum; quis  
 credat alienationem totius Cellae admisisse contra voluntatem  
 eorum, quorum intererat, cum id pugnet contra Regulam,  
 contra iustitiam, contra Privilegia, et ipsam Confirmationem  
 Regiam tradita Cella alba. Profecto non tam tardos  
 fuisse illius Aevi homines mihi persuadeo, neq[ue] tam subdole  
 contigisse, aut tam secreto contingere potuisse novam huius  
 Abbacia Constitutionem. Pugno in hac re contra S. Blasianos  
 pro S. Blasianis.

Age vero huius rei luculentum testimonium producamus  
 ex sermone Sancti Blasiani, et ex ipso Libro Constructionis,  
 si tandem aliquid veri contineat. Quid enim sibi vult illud  
 notum Coma pagina 8. aversa: Huius temporis initiatum  
est Locus Rhinaugia, à quo etiam sumpserunt privilegia sua,  
ut docet Calculatio sive descriptio Chronicarum. Loquebatur  
 quidem prius anonymus de Ottone III. Imperatore, sed non  
 adeo scrupulosus est in temporis Computo, ut sub his for-  
 malibus huius temporis spacium medijs saltem seculi scabin-  
 telligi non possit. Credatur ergo, per me licet, initiatum  
 fuisse Locum Rhinaugia, vel quod Basilica ab Hungaris  
 profanata, aut destructa, fuerit ab Episcopo reconciliata,  
 aut de novo consecrata; vel quod anno 973. proprium  
 Abbatem Wipertum, permittente S. Conrado, obtinuerit; vel  
 deniq[ue] quod Bona hactenus ab Episcopis injuste usurpata  
 anno 995. fuerint restituta. mihi tamen vicissim cedendum  
 postulo, ab Rhinaugia Fratibus in Cella alba data fuisse  
 Privilegia: à quo etiam sumpserunt Privilegia sua; nemo  
 enim ab alio aliquid licite sumit, nisi ei fuerit ab illo datum.  
 Quanam sunt igitur ista privilegia? utiq[ue] Immunitatis  
 ab exactionibus laicis, Electionis proprii abbatis, et advocati,  
 Libertatis. Ergo hoc privilegia sumpserunt Fratres de Cella  
 alba primitus et principaliter non ab Ottone aliquo, neque  
 ab Episcopo, sed à Loco Rhinaugia; Ergo hoc illis data fuisse,  
 et quidem in forma authentica, et Litteris publicis, ut moris  
 erat;

erat; quas quidem *Etteras* saltem in chartularis aliquo descriptas  
viderit Anonymus, quod sub verbis illis intellexerit *Descriptionis*  
*Chronicarum*. Ne indignemini *Sancti Blasiani* Congregatos Cha-  
rissimi, quod dicam vos debere *Athenaugia* S. *Regulam*, et  
*Institutum Benedictinum*, pretiosissimas S. *Blasij* Reliquias,  
denique libertatem, et proprium Abbatem eligendi facultatem;  
qui primordia vestra non melior secundum statum modernum.  
Magnificate antiquam *Athenaugiam*; ne vos pudeat: Nos  
magnificabimus paulo recentiore S. *Blasium*; ne vos ponit  
aliquando *Athenaugienses* fuisse.

O. Primus itaque S. *Blasij* Electus Abbas *Beringerus* à sancto  
*Conrado* Episcopo *Constantiensi* Benedicatur et Confirmatur intra  
annum 946. et 955. Obijt anno 974. Illi anni tanto operi  
immaturi videntur, et mallem differri Electionem primi abbatis  
ad annum 962. quando *Reginbertus* aulam *Casaris* adiuit pro  
Confirmatione Privilegiorum, et distinctione Honorum à *Athe-*  
*naugia* separatorum. Conformius enim acquitati et naturalius  
mihi videtur, ut Privilegia et latifundia *Athenaugia* à *Re-*  
*gibus* concessa et confirmata, non nisi de Regis licentia acie-  
neantur aut separentur. Liberè ergo cedo adfuisse aliquando  
Diploma *Otonis I.* de anno 963. quò satis adhuc mature  
ante *Athenaugiam* proprium abbatem poterat nancisci Cella  
jam non alba, sed S. *Blasij*. Et quare non possit eousque differri  
*Beringeri* Electio, cum expeditum adhuc non sit, an distingua-  
tur ab illo, qui seculo sequenti vixit. Verùm et hanc et illam  
alteram inter duos *Reginbertos* distinctionem, et continuatam  
à seculo X. abbatum seriem libenter amplector, licet res sint  
admodum obscure: sed quis prudens in antiquis omnia plana et  
expedita requirat? scio jam à seculo XI. ad miraculum excre-  
visse S. *Blasium*; scitur saltem seculo X. firmas radices ei admit-  
mus.

Hæc mea sensa de originibus Cello albae, forsassis non placitura,  
Certe melius eliminanda: sed candor saltem in amico placeat, qui sumum  
respectum et observantiam gero non ad modernum modò, sed et ad  
posteroris aevi S. *Blasium*. Hinc libertatem mihi concedi rogo, aliam  
Synopsis historicam Monasterij S. *Blasij* Compendij loco subiiciendi;  
Liberalis ero, quantum salva veritate licebit.

dom in Chastalis aliam  
 est bis illis inducitur  
 mini ebor dicitur  
 e. glaucus v. pagula  
 et diopsimas v. dicitur  
 a. dicitur eligi q. d. d.  
 or. p. d. d. d. d. d. d.  
 uijam; re. v. d. d. d.  
 oram v. d. d. d. d. d.  
 spe.

Abbas Dorap.  
 Benedictus et Corp.  
 974. Ubi con. h.  
 m. d. f. p. r. i. d. h. e. m. p.  
 in b. r. h. s. a. l. i. o. n. i. s.  
 et d. i. f. f. i. c. i. o. n. e. d. i. c. t.  
 m. u. s. e. i. m. a. q. u. i. d. e. i. d. e.  
 et l. a. b. i. f. i. c. i. o. n. e. d. i. c. t.  
 non nisi de d. e. i. s. t. i. s.  
 d. e. r. e. o. r. g. i. c. e. l. o. d. e. i. s.  
 985. q. u. i. f. a. b. i. s. a. d.  
 a. b. b. a. t. u. m. p. o. t. e. s. t. n. o. n.  
 A. q. u. a. r. e. n. o. n. p. o. p. u. l. o.  
 h. u. m. a. d. h. u. c. n. o. n. s. e. h. t.  
 i. n. i. d. u. e. r. i. m. e. b. i. d. e. n.  
 s. d. i. f. f. i. c. i. o. n. e. m. e. t. c. o. n.  
 t. i. n. e. t. a. m. p. l. e. t. o. r. s. i. n. t.  
 d. e. n. s. i. n. a. n. t. i. q. u. i. s. o. n. e.  
 s. a. c. u. l. o. x. i. i. d. m. i. r. a. c. u. l. o.  
 s. a. c. u. l. o. x. s. i. m. i. l. i. t. e. r.

Alia alia f. d. d. d. d. d.  
 licet in d. d. d. d. d. d.  
 non ad d. d. d. d. d. d.  
 d. d. d. d. d. d. d. d. d.  
 f. d. d. d. d. d. d. d. d.  
 d. d. d. d. d. d. d. d. d.

*Cognoscit H  
Cognoscit  
Cognoscit  
Cognoscit  
Cognoscit  
Cognoscit*

*pro moribus  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad*

*pro fratribus  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad*

*ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad*

*ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad  
ad ad*